

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Speculum Quaestionum moralium, in universam Aristotelis philosophi summi Ethicen**

**Case, John**

**Francofurtum, 1597**

**VD16 C 1242**

Cap. I. - An amicitia sit virtus distincta ab alijs?

[urn:nbn:de:bsz:31-109038](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109038)



## LIBER OCTAVVS.

## CAP. I.

*An amicitia sit virtus distincta ab alijs?*

**A**VSAM si requiras, cur Arist. amicitiam nō minimā omnium virtutum in vltimum locum distulerit: hāc præcipuè inter multas reddunt interpretes: quòd tam insignis, tam vtilis, tam necessaria virtus ampliorem dicendi copiam segetemq; postulet. Si enim nec igni, nec aqua, nec sole vtamur in pluribus locis quam amicitia: verè philosophātis est, nō solū multa eiusdem genera, sed etiā vires, officia, dignitates, & vsus consignatis quasi tabulis demonstrare. Cæterū quid litus aro? cur de nō ente disputo? fabulæ & figmenta sunt de Vlysse & Diomede: de Achille & Patroclo. de Pylade & Oreste: de Damone & Pythia. Est

De amicitia.  
Ratio ordinis.  
Amicitia necessitas & vsus.

Ll § certè



certè nomē sine re, vmbra sine corpore,  
 & planè somniantis quasi phātaſma hæc  
 de qua agimus amicitia. Nam ſi ſit, appa-  
 reat vt vidēā, loquatut vt audiam, in vr-  
 bem veniat vt adorem. Non eſt, non eſt  
 p̄fecto in ciuitate vera amicitia: quippe  
 ni fallor olim è Pandorę manu in ſinum  
 Iouis auolauit: ſuceſſit inuidia: quæ tot  
 angues ex nigro gutture, vbiq; tot aſpi-  
 des euamuit. vt docente p̄uerbio, nuſquā  
 tutò viuas: ſed ô miſeram ciuitatē in qua  
 diſcordia regnat. Huic malo latiùs ſerpē-  
 ti remediū vnum eſt idemq; ſolum ami-  
 citia, de cuius ſummo gradu, qui non eſt  
 in rerum natura, cū Ariſt. nunc diſſeren-  
 tes ſapientem Solonem imitabimur, qui  
 ſublīmiora in ſuis legib⁹ propoſuit, vt ci-  
 ues ad ſumma laborioſè contendentes,  
 mediocritatis viam veſtigiis premerent.  
 Fruſtra de p̄fecto oratore nō egit ora-  
 tor, quamuis nunquam apparuit; ineptè  
 de p̄fecto amico nunc nō diſputat phi-  
 loſophus, quāuis in Vropiā abiit. Proce-  
 mium huius libri totum in laude amici-  
 tiæ ponitur, declarat namq; Ariſtot. in  
 eo dignitatē, neceſſitatē, vſum eiudem;  
 digni-

Cur amicitia,  
 qualis inter  
 homines non  
 reperitur, de-  
 ſcribat Ari-  
 ſtoteles.

Amicitia dignitas,  
 neceſſitas,  
 vſus.



dignitarē, cum aut virtutis comitem aut ipsam virtutē esse definiat: necessitatem; cum neq; res prosperas delectabiles, neq; res aduersas tolerabiles sublata benignitate esse ostendat: vsum, cū iustitiæ consortem, naturę vinculum, ciuitatis præsidium, senectutis solatiū, vitæ humanæ portum esse insinuet. Quid plura? omnia amicitia consistāt, discordia cadunt. O quot & quāta ciuitatum cadauera, quot hominū sepulchra fecit discordia? Somnias Heraclite, q̄ omnia ex discordia fieri & procreari asseris. Laudo te Empedocles, qui omnia ex concordia nasci & fabricari sapienter defendis. Nā quamuis ex contrariis principiis naturæ effecta, quamuis ex disparibus vocibus dulcissima harmonia cōstituitur: Est tamen numen quoddam amicitia in omnibus, cuius admirabili vi ac influenza conseruātur omnia. hoc sapienter probat philosophus à testimonio Euripidis, qui luculentiū id ipsum hoc modo cecinit,

*Siccata tellus imbre rigari cupit:  
Cum turget æther, imbre cum cælum turet,  
Affectat vt telluris in sinum cadat.*

Amicitia cōmoda, discordia incommoda.

Vt



Ut ergo res singulae naturae vtero con-  
ceptae partaeque, mutuis suarum virtutum ac  
proprietaum veluti officiis cohaerent: ita  
homines (quorum causa res omnes fiunt)  
sine vinculis amicitiae in lubrica & lacu-  
nosa praecipitia ruunt.

*Distinctio.*

Amicitia si  
mitur, aut  
 { Improperie, pro naturali connexionem &  
 sympathia rerum, & sic in omnibus natu-  
 rae effectis est quaedam amicitia, si-  
 ne qua cohaerere non possunt.  
 Minus proprie, pro amabili affectu &  
 appetitu societatis in bellis, quae a  
 natura societatem desiderant

{ Actu interiori solum, quae  
 vulgo benevolentia dicitur: multi enim bene  
 optant illis, quos nunquam viderint.

Proprie seu  
moraliter  
pro amore  
mutuo, haec  
autem con-  
sistit aut in

{ Bonum delectabile.

{ Bonum vile.  
 Bonum honestum, quae  
 verum & simpliciter vir-  
 tus haberi debet.

*Opp.*

Amicitia maxime quietem civitatis ac reipub. re-  
spicit: ergo spectat ad politicum de illa disputare.

Resp.

Resp.

Respicit a- micitia vel	}	Naturam, sic physicus	} de illa di- sputat.
		Domum, sic economicus	
		Ciuitatem, sic politicus	
		Vitam hominis ad sum- mum bonum dirigen- dam, sic ethicus	

Opp.

Multi in votis habuerunt sine amico viuere, vt Tha-  
les & Pythagoras inter philosophos, vt Antonius & Hi-  
larion inter Christianos: ergo falsum id est, quod in tex-  
tu habet Arist. quod nemo viuere expeteret sine amico.

Resp.

Vitam politicam non theoreticam hoc loco tractat  
Aristor.

Opp.

Amicitia non est in potestate hominis, cum in se situm  
non sit, vt ab alio redametur ergo non est virtus.

Resp.

Amicitia est in potestate hominis. Nam quāuis in  
Socrate situm non est vt diligitur à Platone, si tamen  
Platonem diligit Socrates propter virtutem, amici of-  
ficiam praestat. Amicitia enim non tam in amari quam  
in amare consistit.

Amicitia tam  
in amare con-  
sistit quam in  
amari.

Opp.

Amicitia versatur circa eadem obiecta cum iustitia  
ergo ab ea non distinguitur. Antecedens est in textu.

Resp.



Resp.

*Idem est obiectum materiale vtriusq., nempe bonū alterius, sed idem nō est formale, nēpe proportio arithmetica in damno & lucro posita.*

**An legumlatores magis circa amicitiam quàm circa iustitiam studeant?**

Opp.

*In iustitia omnia legum precepta ac instituta civitatis continentur: ergo legumlatores magis iustitia quàm amicitia studere debent.*

Resp.

*Iustitia duplex { Legalis, cui magis student.  
Particularis, cui minus & sic intelligitur textus philosophi.*

## CAP. II.

**An obiectum amicitiae sit bonum amabile?**

**An rectè definiatur amicitia?**

Diligenda in quibus est causa diligendi.

**O**BIECTUM amicitiae vulgò amabile dicitur, quod est aut ppter se, vt bonū animi: aut propter aliud, vt id quod vtile vel iucundum habetur: bonū animi est vt virtus, quā studiosi viri propter se in aliis diligunt: bonū vtile & iucundum, quod ad aliud. i. ad honestatem vitae referri debet: quippe non omnia sunt